



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Iovstinvs M. 13. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Eam maculam etsi nullâ suâ culpâ contractam cum precibus, jejuniis, confessione semper elueret, redibat tamen ad invitum illa, & etsi scelus non esset, videbatur tamen esse. Tandem dormienti adstiterunt ALFERVS visus est, & fonti admotum sanctioribus undis lustrare, jamque contra Stygis ejuscemodi vulnera eximium facere. O similis, inquis, fons mihi curreret! At si oculos habes, binos domi habes.

*Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat, Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebra ignibus aestuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc aestuans luxuria, flammâ decoquitur, ita postmodum gehenna incendiis consumetur. S. Pet. Dam. l. i. ep. 6.*

## S. IVSTINVS M. 13. Aprilis.

**I**USTINVS Philosophus Palæstinâ oriundus literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes acerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Iudæi Gentisque adversus Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarem subfellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior numquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine

sanguine stetit. Nam cum crescentem vitam & disciplinam Cynicam, ignorantiam hominis multoque magis caninam impudentiam offensus, publicis congressibus vicisset, ea res scilicet canem illum ad vindictam inflammavit. Nulla ratio perdendi IUSTINI aptior visa, quam si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse coeperat & capitale. Ergo structæ D. IUSTINO insidiae haud sancte nolenti, captus rogatusque Christianusne esset; affirmavit. desereretne sua sacra; renuit, Mortem subiret; voluit; id Christo mortalium severo iudici gratum, sibi utilissimum fore affirmans; ac mox cervice securi subjectam, vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset, Ex. Surio & Bayon.

*Si unus omnium ad vitam introitus & similis exitus diligenter attenditur, varietas illa, qua versatur in medio, necesse est, ut tanquam volax fugacis somnii vanitas contemnatur.* B. Dam. l. 7. Ep. 5.

S. HERMENEGILDVS M.

13. Aprilis.

**O**stendit HERMENEGILDVS, quando tandem negare obedientiam parentibus, etiam caelo arridente, liceat. Cum enim patrem haberet Leovigildum Wisigothorum Regem, & haeresi Arianæ oppido addictum, ipse saniolem fidem à Praefule Leandro didicit. Sed veritas etiam apud parentem odium peperit. Hic enim cum laudibus debuisset, ferro filium oneravit, & anno libertatis Christianæ D. LXXXIV. in carcerem dedit. HERMENEGILDVS, ut monstraret; quam non pensi regnum haberet, humanis rebus omnibus se abdicavit, purpuram cum cilicio mutavit, tempus omne inter vota ac supplicia transegit, demum è

carcer